

Instability of the tradition and variability of the *emendatio*:  
some cases from the poems of Paul the Deacon

Adriano Russo  
École Française de Rome  
15.02.2024

c. XXI<sub>A</sub> (Peter of Pisa to Paul the Deacon; winter 782-783)

<p>Lumine purpureo dum sol perfunderet arva, iam radiis medium caeli transcenderat axem, populea et fessus pastor recubabat in umbra, cingebatque sopor homines fulvosque leones, et lapidum solito sat iure silentia montes</p>	5	
<p>stringebant pelagique gravis cessaverat ira, extemplo iuvenem prospexi corpore pulchro, de cuius niveo florebat barbula mento, respectu placitum, sensu, pietate, loquella, ingenio cunctos superantem, nomine summo.</p>	10	exemplo PG : exemplo <i>edd.</i>
<p>Hac me subridens voluit palpares sagitta: 'Iam nova ventifero surgunt miracula mundo, quae penitus priscis fuerant abscondita saeculis. E quibus est unum quod, te dicente, poeta, in nostris visum subito pandatur ocellis:</p>	15	quo PG : quod <i>edd.</i> misit PG : missum <i>Neff</i> : visum <i>Haupt</i>
<p>Dat genitor genito quod se non sentit habere; nec quaquam in genitore potes cognoscere, lector, quod praebuit firmo nascenti pectore proli. Verborum, sapiens, animo scrutare secretum, ut possit dictis media resonare caterva.</p>	20	quemquam PG : quaquam <i>edd.</i> nascente PG : nascenti <i>edd.</i>
<p>Quod si conspicua fuerit nec luce repertum, Poplite curvato tunc disce docente magistro.' Mens mea mox torpens proprias restrinxit habenas audituque pavens mansit stupefacta misella.</p>	25	
<p>Non potuere mei quod parvi forte lacerti, tu poteris, magna fulgens in monte lucerna. Sit tibi, libripotens, solvendi maxima cura, fortia qui dudum potuisti solvere vincla. Dentibus egregium tu desine rodere fratrem, iratus regis qui numquam cernitur aula:</p>	30	
<p>summa salus homini est, si non percusserit ausu conservum inlicito domini sub lege manentem. Iam nivei dentes mentis serventur in horto atque oculis vestris monstretur dactilus unus:</p>	35	manente PG : manentem <i>edd.</i>
<p>tange supercilium, poteris cognoscere verbum. Caelorum regnum devoto pectore serva et ternis pinna virgis scribatur imago. Omnipotens Karolum felicia sceptris regentem, qui caelum astriferum, terram pontumque creavit, litora spumiferi pelagi qui terminat undis,</p>	40	
<p>angelicum castis quem laudat vocibus agmen, aeterna miseros qui flamma perdit in ignis et meritis pietate fovet sine fine beatos, intentis precibus sanctis conservet in aevum, qui nostram dapibus nutrit reficitque senectam.</p>	45	

c. XXIB (Paul to Peter of Pisa, winter 782-783)

Cynthus occiduas rapidis declivus ad oras  
iam volitabat equis, iam nox se caerula pallam,  
rebus et humanis metas positura labori,  
stelligero varii cultus fulgore micantem  
rorantemque simul citius vestire parabat, 5  
cum subito vestra clarus mihi miles ab aula  
detulit ignitas quasi puri muneris instar  
antiquo et caro quondam mittente sodale  
intima iocineris penetrantes usque sagittas.  
Mane novo ad vestras quoniam properavimus aedes, 10  
et spatiis paene est iam lux revoluta diurnis,  
non sivit brevitatis aut digne obponere peltum  
missilibus contra spatiosae aut ludere telis.  
Crastina conspicuo cum lux fulgebit Eoo,  
tinxerit et tremulos Titania purpura fluctus, 15  
errabitque vagis late rubor aureus undis,  
cuncta et ridebunt Phoebus radiante per orbem,  
excipiet tenues arcu pellente sagittas,  
qui carum ut hostem iaculis confixit acutis.  
Miror, qua numeri textum non contigit arte, 20  
extremo nostrum tenuit quod limine carmen.  
Ardua, divino nitido quae fulgis in horto,  
cedre, vale et celsos pertinge cacumine nimbos,  
tu quoque cum fructu, felix cyparisse, per aevum.

peltum PG : peltam *Dümmler edd.*  
spatiosae PG : spaciosae *Traube*

erravitque PG : errabitque *edd.*